



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 152. Cardinalis Conclave ingressi, Papam electuri

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1447.

§. CLI.

Barones Romani conclave ingredi prohibiti.

Plures Romani Barones Conclave ingredi, ac electioni interesse desiderabant, sed Cardinales ibidem congregati eos arcebant, veriti, ne auctoritate prævalentes juxta arbitrium suum Papæ electionem moderarentur, aut forte electioni factæ obsistentes, novum schisma conflarent. Hæc repulsa præ reliquis vehementius afflixit Joannem Baptistam Savelli, magnæ auctoritatis, ac rari meriti Virum, qui pluribus contendebat, conclave ingrediendi prærogativam jus esse familiæ suæ annexum. Ast eo Cardinalium voluntati cedere coacto, plura alia privilegia longævo usu Nobilitati concessa eodem tempore abrogata fuere, cum populo Romano plus justo onerosa acciderent.

§. CLII.

*Cardinales ingressi Conclave,
Papam electuri.*

Post hæc Cardinales matutino tempore die tertia Martii in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam conveniebant, ac solito juramento a Conclavis Officialibus præstito decantabant Hymnum, *Ve-*
ni

ni Creator &c. Instruebatur etiam per ^{Sæcul. XV.}
 clauſtri ambitum ſolemniſ ſupplicatio, ^{A. C. 1447.}
 qua finita Cardinales ad assignata ſibi
 receſſerunt cubicula, quorum quædam
 ſericis aulæis violacei, alia viridis colo-
 ris ornata erant. Solus Bononiensis
 Cardinalis cameram ſuam albi coloris ta-
 pete prætexi voluit. Poſtera die ſacro de
 Spiritu Sancto ſolemniter decantato, ad
 ſuffragiorum ſcrutationem proceſſerunt,
 ubi tamen illa die electio finem ſortita
 non eſt, cum eligendus duodecim ſuffra-
 gia ſolus ferre debuiffet nonniſi octo-
 decim numeratis Cardinalibus.

Primis duntaxat quinque diebus Car-
 dinalibus cibos, quoscuque voluerant,
 comedendi copia dabatur, proximo vero
 triduo nonniſi unicum, quod lubebat,
 relinquebatur ferculum, elapſis autem
 hiſce diebus ſolum certa panis, vini que
 portio, donec ſequeretur electio, ſubmi-
 niſtrata fuerat: Nec alio famulatio præ-
 ter eorum Capellanos, ac cruciferos uti
 licebat. Designabantur etiam duo dun-
 taxat ſacrorum rituum Magiſtri; hiſ ta-
 men electo novo Pontifice cubiculorum,
 quæ Cardinales tempore Conclavis inco-
 lebant, ſuppellex, atque utenſilia relin-
 quebantur.

Cardinalibus Conclave vix ingreſſis,
 popularis rumor per urbis compita ſpar-
 geba-

Sæcul. XV. gebatur, Prosperum Columnam futurum
 A. C. 1447. esse Papam; sed antiquum Romanorum
 fert proverbium: Qui Conclave ingre-
 ditur ut Papa, semper regreditur ut
 Cardinalis. Eandem sortem expertus
 est Prosper, nequicquam sibi suffragan-
 te amicorum favore, quos inter Aquile-
 jensem, & Vicecancellarium Cardinales,
 necnon & Fratrum Minorum Generalem
 numerabat; Altera die suffragiorum col-
 lectione facta, Cardinalem Columnam
 decem, Cardinalem Firmanum octo tulif-
 se compertum est. Cum autem nullus re-
 quisita adhuc haberet suffragia, reliquum
 diei inutiles tenuerunt consultationes.
 Tertia demum die suffragantium animi
 tam diversis scindebantur studiis, ut ex-
 tra gremium aliqui, nimirum Beneven-
 tanus, & Florentinus Archiepiscopi, nec-
 non Nicolaus de Casa eligendi propone-
 rentur; Nihilominus Cardinalis Columna
 denuo decem, & Cardinalis Bononiensis
 tria obtinuit suffragia: Firmanus Car-
 dinalis Columnam paucis gradibus a
 Pontificio apice distare intelligens peror-
 rare coepit, dixitque: „Quid frustra va-
 „nis jurgiis tempus teritis? tanto tem-
 „pore Conclave protrahere, res est peri-
 „culis plena. Urbs Romana jam scissa
 „est in duas factiones; Rex Arragoniæ
 „potenti classe mare occupatum tenet,
 „Amadæus Sabaudus nostris consiliis adver-

„adversatur, & Comitem Franciscum Sæcul. XV.
 „Sfortiam nobis inimicum esse nostis. A. C. 1447.

„Ergone inter tanta pericula otiosos esse
 „expedit? Quare non abrupta omni mo-
 „ra Ecclesiæ Christi de Capite visibili
 „prospicimus? Ecce Angelus Domini no-
 „bis ostendit Prosperum Columnam Car-
 „dinalem, cujus merita nobis omnibus
 „perspecta sunt, num eo meliorem crea-
 „bimus Pontificem? jam ipse decem tu-
 „lit suffragia, duobus duntaxat Papatu
 „inferior est, unus ergo inter nos exur-
 „gat, & eidem suum cedat Votum, &
 „brevis ad ejus exemplum alius acce-
 „det.“ (*)

Quamvis Cardinalis iste multo fer-
 vore perorasset, nullus tamen propterea
 statio-

(*) Continuator hanc Joannis Morinensis
 adhortationem suis potius, quam Æneæ Sylvii
 verbis recitasse videtur; Ille enim in Commen-
 tario de rebus Basileæ gestis sic habet: *Quid*
cum periculo tempus terimus? dammosa est ni-
mis mora nostra, adversarium habemus Amada-
um, qui non dormit, & hoc tempus vacationis sibi
aptissimum arbitratur. Regem Arragonum
cum exercitu vicinum habemus, nec quid molia-
tur, scimus. Populus in armis est, tota civitas
trepidat, agite, finem rei imponamus. Pro-
spere, ut videtis, major pars vocat, quin ac-
ceditis, atque hunc Pontificem accipite, & quem-
nam potestis habere meliorem?

Secul. XV.
A. C. 1447.

statione sua egressus est, sed omnes per-
stiterunt immoti. Cardinalis autem Bo-
noniensis malis ex hac mora forsitan in
Ecclesia exorituris obviare intentus, suf-
fragium suum jamjam Cardinali Co-
lumnæ dare parabat, nisi eum Cardina-
lis Tridentinus opportune cohibuisset,
insinuans (*), „tanti momenti negotia ex
„repentino animi impetu haud esse de-
„cernenda, nec unquam tarde nimis facta
„censeri debere, dummodo semel bene fi-
„ant, matura deliberatione rem esse pon-
„derandam; non enim agi de præficien-
„do cujusdam urbis Prætores, sed de eli-
„gendo

(*) Æneas Sylvius hæc, habet: *Mane Bo-
noniensis tantisper! nihil est in rebus humanis
majus electione Papæ: Festinatio coeca est, &
inimica consilii, ponderate quid agatis, nolite
præcipitanter agere . . . eligamus Papam suo
more, fiat suo tempore unum scrutinium. Quid
est, nunquid diem crastinum non possumus expe-
ctare? Tunc Ludovicus Aquilejensis: quid tu
differs in Papatu tantum, quin potius dicis,
quem velis Papam? At ille, dicam, inquit,
hunc ego Bononiensem velim, & pacem sub eo
sperarem, qui doctissimus est, honorum, sanctio-
rumque morum. Quæ autem Continuator hic
loci affert, quoniam ex auctore vel auctogra-
pho desumpserit, invenire non potuimus, certe
nec Sigonius, nec Platina, quos adducit, ul-
lam eorum mentionem fecerunt.*

„gendo universi Orbis Domino, cui com-
 „peteret ligandi, & solvendi potestas,
 „portasque coelorum claudendi, ac ape-
 „riendi auctoritas, uno verbo, creandum
 „esse Christi Domini Vicarium in terris.“
 Hujus sermonem excepit Aquilejensis
 Cardinalis hunc in modum respondens:
 „Quaecunque egisti, quaecunque demum
 „dixisti, unice eo collimant, ut Colum-
 „nam a Pontificio solio excluderes, &
 „Papam juxta arbitrium tuum nancisca-
 „ris.“ Postea Cardinalis Bononiensis
 ad Aquilejensem conversus inquit: „Cui-
 „nam ergo suffragium tuum conferre
 „praetendis?“ respondit Aquilejensis,
 „nemini me devovi, quemcunque nomi-
 „naverint ceteri, ratum, gratumque ha-
 „bebo.“ Prosper Columna Morinensem
 quoque Cardinalem sibi suffragantem ha-
 buit, proin solus undecim tulit suffragia.
 Tandem Cardinalis S. Sixti Cardinalem
 Bononiensem allocutus, „Thoma, in-
 „quit, ego te creabo Pontificem, quia
 „hodierna die Sancti Thomæ profestum
 „concurrit.“ Nempe sexta Martii die
 vigilia Sancti Thomæ Aquinatis agebatur.

§. CLIII.

*Cardinalis Bononiensis in Papam
 electus.*

Eodem tempore ceteri omnes Cardina-
 les unanimi consensu in Bononien-
Hist. Eccles. Tom. XXVIII. M sem

Sæcul. XV.
 A. C. 1447.